



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

De Resvrrrectione Christi. Euangelium Lucae. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

fides in inuocatione, quod uere propter hunc filium recipiamur, non propter nostram dignitatem. Considerentur & poenae Aegypti, significantes exitium omnium impiorum.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Euangelium Lucae.

XXIII.

ET ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod aberat spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem nomine Emahus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quae acciderant. Et factum est, dum loquerentur, & secum quaererent, & ipse Ihesus appropinquans, ibat cum illis, Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Ait autem ad illos, Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Respondens autem unus, cui nomen Cleophas, dixit ad eum. Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quae facta sunt in illa in his diebus? Et dixit illis Quae?

Illi autem dixerunt, De Ihesu Nazareno

zareno

EVANGELIUM

zareno, qui fuit uir Propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo, & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel. At qui super hæc omnia, tertio dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non inuento corpore eius, uenerunt dicentes, se etiam uisionem Angelorum uidisse, qui dicant eum uiuere. Et abierunt quidam ex ijs, qui erant nobiscum, ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut & mulieres dixerunt, ipsum uero non uiderunt.

Et ipse dixit ad eos, O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus que locuti sunt Prophete, Nonne hæc oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam? Et incipiens a Mose & ab omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt ad castellum,

stellum, quo ibant. Et ipse finxit se longius ire, & coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam ad uesperascit, & inclinata est dies. Et intrauit ut maneret cum illis.

Et factum est, dū recumberet cum eis, accepit panē, benedixit ac fregit, & porrigebat illis. aperti autem sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, Et ipse euauit ab eis, & dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & dum aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos undecim & eos, qui cum illis erant, dicentes, quod surrexit Dominus uere, & apparuit Simoni, Et ipsi narrabant quæ gesta erant in uia, & quomodo agnitus esset eis in fractione panis.

Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis, Pax uobis, Territi uero & timidi facti existimabant se spiritum uidere, Et dixit eis, Quid turbati estis, Et quare cogitationes ascendunt in corda uestra? Vi-

M dete

EVANGELIUM.

de te manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, Palpate me & uide te, quia spiritus carnem & ossa nō habet, sicut me uide te habere. & cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus prae gaudio & mirantibus, dixit illis. Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fau uum mellis. Et accipiens, coram illis comedit.

Dixit autem ad eos, Hec sunt uerba quae locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes, incipiendo ab Ierosolima.

HOC caput Sex habet praecipuos locos.

Pia

- I Pia colloquia.
- II Infirmitas discipulorum.
- III Etiam infirmi dociles placēt Deo.
- IIII Confirmatio Euangelij, ex testimonijs prophetiis.
- V De resurrectione, quod uidelicet fides debeat intueri resuscitatum & regnantem Christum.
- VI De beneficijs resurrectionis.

DE PRIMO.

Bis interuenit Christus colloquijs discipulorum, disputantiū de Resurrectione. Exemplum igitur monet, et testatur, Deum fauere piæ meditationi, et sermoni. et per hæc efficacem esse. Ideo scriptum est: Abundet sermo Dei inter uos, Item, sit sermo uester sale conditus.

DE SECUNDO.

Insignis est infirmitas in discipulis. Dubitant enim de Resurrectione, cum quidem antea prædicta esset. Sunt igitur in sanctis peccata, infirmitas fidei, dubitationes, ignoratiæ, securitas, uitiosi impetus multi, diffidetiæ etc. Sicut in Psal. dicitur Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Ac deprehēdet in sese quisq; suæ fidei infirmitatē, cogitās de æternitate, de resurrectione nostra etc.

M 2

Item,

DE

Item securitatem nimis magnam, & multa errata, quæ oriuntur ex diffidentia, uel fiducia carnali. Hic igitur discamus, perpetuam in sanctis poenitentiam esse debere, et sanctos non esse iustos lege, quia legi non satis faciunt, & damnanda est operum fiducia, & rursus discendum, quod agentes poenitentiam fide consequantur remissionem, et placeant Deo propter Christum. Sunt hic etiam discernenda peccata. Nam delicta contra conscientiam excutiunt fidem, gratiam, & Spiritum sanctum.

DE TERTIO.

Vtilis consolatio est, exemplum infirmitatis Apostolorum in tota historia Euangelij. Testatur enim infirmos, si tamen sint dociles, & fundamentum teneant, placere Deo, sicut et Paulus inquit: Infirmum in fide assumite, Deus enim eum recepit. Ac semper in Ecclesia maxima pars habet insignes infirmitates.

Discernendi sunt autem infirmi dociles, ab Hypocritis arrogantibus, præfractis, contumacibus. Infirmi dociles sunt, qui fundamentum tenent, id est, articulos fidei, et si in quibusdam nondum satis explicatam doctrinam tenent, de quibus tamen audiunt alios doctiores, quæruntestimonia scripturæ, non repugnant, non defendunt priuatas persuasiones

suasiones, aut priuatos affectus, ambitiones, aut alias cupiditates, prætextu uerbi Dei, male detortis scripturis etc. Econtra contumaces sunt, qui in quibusdam articulis ueras sententias oppugnant, uel inscitia, uel arrogancia, & fiducia sue sapientiae, admiratione suarum opinionum, uel propter aliquas priuatas cupiditates etc. Tales contumaces non placent Deo, nec infirmi nominandi sunt, sed potius contenciosi, inimici Euangelio.

DE QVARTO.

Christus ipse deducit Ecclesiam ad testimonia Prophetica, et nõ tantum conuincit discipulos suis miraculis, et sua ipsius resurrectione, Sed addit testimonia scripturæ, quia non uult nos ex solis miraculis iudicare, sed miracula consentire debent cum tradito uerbo. Iam hic utile est colligere aliqua testimonia, de quibus haud dubie Christus differuit, quando docuit de Passione, de Resurrectione, de uictima pro peccato, de abolenda morte, de restituenda uita æterna, et refutauit imaginationes de regno mundano Messie. Nam discipuli habebant uulgarem persuasionẽ, Messiam habiturum esse regnum mundi, et dominationem politicam. Verum Christus diuersum hic docet, uidelicet, se missum esse, ut fieret uictima pro peccato, promulgaret Euangelium & resuscita-

D E

tus det Spiritum sanctum, adiuuet inuocantes Patrem per ipsum, mittat Apostolos, & adificet, & conseruet Ecclesiam, ac in resurrectione mortuorum glorificet eam. Hæc in promissionibus et concionibus Prophetarum dicta sunt. ut in prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis, id est, Christus destruet opera Diaboli, peccatum et mortem, Et Serpens calcaneum eius mordebit, id est, diabolus exercebit seuitiam in Christum & Ecclesiam, Sed tamen uincetur, et conculcabitur. Huc pertinet & quinquagesimum tertium caput Esaiæ: Item uictimæ in lege significabant ueram uictimam, sicut inquit Epistola ad Ebreos: Impossibile fuit sanguine Taurorum & uitulorum tolli peccatum.

D E Q V I N T O.

Fides nostra intueri in omni præcatione et inuocatione Christum resuscitatum, uiuentem et regnantem debet, & tenere regulam: Quidquid petieritis patrem in nomine meo etc. id est, fiducia Christi, non fiducia uestre dignitatis. Nam Christus est perpetuus Pontifex, perpetuo pro nobis intercedens, perpetuo dona dans hominibus. Nec imaginandum est, sibi cum beatum esse, ociosum esse, sed resurrexit ut regnet, id est, ut sit efficax in inuocantibus ipsum, Sicut inquit ad Apostolos, Data est

est mihi omnis potestas: Ego uobiscū sum usq; ad
consumationem seculi. Et in Psalm. dicitur: Sede
à dextris meis, quo significatum est Christum re-
gnaturum esse diuina potentia.

SEXTO, DE BENEFICIIS

Resurrectionis.

Ad Rom. 4. dicitur. Quia traditus est propter
delicta nostra, et resuscitatus propter nostram iu-
sticiā. Hic discrimen tradit per solutæ pœnæ pro no-
bis et deinde exhibendæ nobis iusticiæ et uitæ. Quod
enim Christus mortuus est, persoluit pœnam, quā
debuimus. Sed si mansisset in morte, nō fuisset cō-
pletum beneficiū, nec habuisset ipse regnū promif-
sum, nec fuisset efficax in liberandis suis à morte
eterna, ideo oportuit eum resurgere, ut sedens ad
dexterā patris, hoc est, regnans potentia diuina sit
efficax. Sūt igitur beneficia resurrectionis, omnia
opera Christi regnantis, uidelicet, iustificare credē-
tes, sanctificare dato spiritu sancto, defendere eos
aduersus potestatem Diaboli, liberare eos à morte
eterna, inchoare uitā æternam in credentibus, &
postea eos resuscitare, instaurare totā naturam hu-
manā uicturam noua luce, sapientia, iusticia, et ui-
ta perpetua. Nihil horū fieret à mortuo, et ocioso.

De his operibus concionantur dicta propheti-
ca, quæ loquuntur de resurrectione, ut Osee, 3.

M 4 De

De manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos: Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Hec concio Osee declarat ueteres promissiones, et significat qualis liberatio per Messiam promissa sit, uidelicet, non restitutio et amplificatio regni politici, sed longe alia res, scilicet, destructio mortis et peccati, ac restitutio uite eterne. Ideo dicitur. Ero mors tua o mors, id est, delebo mortem, delebo inferos, reddam uitam, et iusticiam perpetuam, scilicet credentibus. In his uerbis cetera insunt, id est, Ergo regnat Messias, intercedit pro nobis apud Patrem, ut recipiat nos ac iustos pronunciet: dat nobis Spiritum sanctum, dimicat pro nobis contra Diabolum, inchoat in credentibus uitam eternam et resuscitat mortuos, sicut ipse resurrexit. Porro haec beneficia & intelligemus, & consequemur, si excitabimus nos ad inuocationem, & petemus auxilium in publicis periculis, & nostris, a Christo regnante, nec somniabimus otiosum esse.

Simile dictum est apud Esaiam: illo die stabit radix Iesse, quae erit signum populis, ad ipsum gentes confugient, et erit sepultura eius gloriosa. Descriptio est regnantis Christi. Die illo stabit, id est, non euertetur promissus liberator ex stirpe Iesse: Et erit signum populis, id est, erit tanquam Dux gerens

gerens uexillum poterit conspici in signo suo, id est, prædicatione Euangelij: & gentes ad eum confugient, inuocabunt eum. Quando? Non tantum, cum in hac uita conuersabitur nobiscum, ut mortalis homo, sed etiam postea, cum mors eius erit gloriosa, id est, cum resurrexerit. Nam mors si non sequeretur resurrectio, seu noua uita, non esset uera gloria. Testatur ergo dictum Propheta, resurrecturum esse hunc Dominum, & non mansurum in morte, & tunc gentes inuocaturas esse ipsum. Hic docet qualis sit cultus in Nouo Testamento futurus, non mactabunt uictimas, sed confugient ad hunc ducem, ab hoc petent auxilium. Hic liberabit inuocantes à summis malis, à quibus liberari non possunt ullo alio modo, uidelicet, ab ira Dei, à peccato, à morte perpetua, à potestate Diabuli, &c. Sunt autem traditæ hæc conciones Prophetarum, ut fidem in nobis excitent, & confirment, & nos hortentur ad hos cultus, ad agnitionem & inuocationem Christi. atq; ita dulcescent nobis hæc conciones, & beneficia resurrectionis intelligemus, si inuocationem serio exercebimus admoniti his sententijs. Huc pertinent omnes sententiæ quæ loquuntur de perpetuo regno Christi. &c.

M S Domine